



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Præambvlvm Circa Operis Institvtvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)



PRÆAMBVLVM

C I R C A

OPERIS INSTITVTVM.

Finis Authoris.



Su à nobis compertum est, eam excipiendi Philosophicās ac sublimiores disciplinas rationem, quæ auditoribus, recepto jam more, scriptitandi necessitatem imponit, haudquam conducibilem esse, potissimā diei parte adstrictis observantiā regulari adolescentibus; si enim tempus, quod exarandis præceptionibus tribui solet, impressis discutiendis impenderetur, omnes aliquid differrent, nec ulli, in quæis spes est reposita maxima, causarii ex incommodā scriptione stomachi, studiorum amorem exuerent, aut ferendis observantiæ & discendæ lectionis obligationibus, invalidos se & impares iure conquererentur. Ad hæc, quis in scribendo tam expeditus, qui non indè intercisionum insignia, aliundè voculas, clausulas illinc, cum prælegentis festinatione interceptus, tūm suā remoratus tarditate, præmittat, & sic præclarissimorum documentorum, alioqui faciles intellectus, pusillā sæpe similium mutatione, insuperabili obscuritate confundat? Quid omnia prosequar? Mala profectò, quæ, ut recensere molestum & blyteum, ita diutiùs tolerare apprimè malum; undè professori meo admodum colendo semper altè inhæsit, ut unius incommoditate cæterorum commoditati semel prospiceretur; cumque ipse nequiverit, tūm morbo oppressus, jam ad provinciæ regimen assumptus; licèt

[**]

im-

imparibus, humeris meis onus imposuit, factumque à me est officiosè, ut, meo periculo cæteros tædio molestiâque eximendo, studia promoverem; an utiliter? arbitrabuntur posterì.

Disputandi Series.

Sunt, qui Nominalium semitas probant, totamque ferè Logicam profundis quibusdam Disputationibus farciunt; sunt, qui improbant, easque, nonnullorum Realium philosophandi modum, tamquam præstantiorem & ad intricatissima quæque declaranda accommodatiorem amplexati, in Metaphysicam rejiciunt; sic ut earum solum compendium in Logica præmittant, & totum uno ferè biennio ante partes sine ordine discutiant, quasi syllabas priùs adolescentes docere vellent, quàm litteras; quod nedùm ridendum, & stultum, sed furiosum putat Augustinus de Ordine lib. 2º. cap. 7º. ajens: *Si quempiam Ludimagistrum audiremus, conantem docere puerum syllabas, quem prius litteras nemo docuisset, non dico ridendum tamquam stultum, sed vincendum tamquam furiosum putaremus, non ob aliud, ut opinor, nisi quòd docendi ordinem non teneret.* Vide Præfationem ante Logicam.

Authoritatum Pondus.

Aristoteli adhærescimus, quantum fides permittit, juxtà illud Constitutionum Reformationis nostræ cap. 21. n. 17º. *Lectores verò Philosophiæ studeant Aristoteli adhærere, quantum fides Catholica patietur.* Quia verò varia ejus principia fidei non satis congruunt, quidquid varii nefas expendere putent, ea post debitum examen eliminamus, sic, ut amicus ille, sed magis amica fides. Divum Thomam autem Christo & toti Christianæ Ecclesiæ probatissimum Doctorem, Lucem ac Ducem veneramur, non quà plurimi rigidiores ætatis hujus interpretes doctrinam ipsius ad mentem suam componunt, sed quà sub fide ratio, Ordinis maximè Doctorum, eam exponi

poni jubet: *Neque verò Lectores, tam congerendis Doctorum auctoritatibus immorentur, quàm in solidis rationibus seriò examinandis: quod spectat ad D. Thomam, quantum in ipsis erit, illius doctrinam amplectantur, cum interpretatione Doctorum Ordinis nostri. Ita præcitata Constitutiones ibidem. Hinc est quòd in sensa ullius non juremus; sed Nominalium cum Magistro nostro Bachone amplectamur, & Realium, si vera; utrorumque abhorreamus, si falsa; Non particularis secta est eligenda, inquit Clemens Alexandr. libri 1ⁱ Strom. c. 4^o. Sed quidquid rectè omnes dixerunt, Stoici, Platonici, Epicurei, Aristotelici, dico Philosophiam. Causam habes apud Anastasium Sinaitam libri 2ⁱ epist. 3^a: Qui antè nos ista docuerunt, non Domini nostri, sed Duces sunt: patet omnibus veritas; nondum est occupata; multum ex illà futuris relictum est. Quærunt nonnulli, cur doctissimos Carmelitici Ordinis Patres Complutenses sectatus non sim: sed nisi jam abundè satisfactum esset, responderem sectari liberum; nam & ipsi suos prædecesores nostros præstantissimos Doctores, Thomam Vualdensem, Joannem de Bachone, Michaëlem de Aiguanis sive de Bononià, & alios sectati non sunt. Ego autem, uti vivendi formulam horum, non verò Excalceatorum, ad præscriptum Constitutionum Reformationis, sequor & doctrinam.*

Sententiarum Varietas.

Aucis placet nonnullorum contendendi modus, qui destruendi peritiores, quàm ædificandi, aliorum dirutis fundamentis, nil stabiliunt: minùs tamen placent sectarii multi, qui aliorum sensa, vel solo novitatis nomine rejiciunt, vel quòd proprii non congruant: non enim omnia nova, & multò minùs adversa, aut falsa sunt, aut statim rejicienda; nam, ut scitè Pater Ariaga in Philosophiæ suæ ad Lectorem Præfatione, eos acutè Tertullianus (ni fallor) refutat, dum & ipsorum etiam opiniones novas aliquando fuisse, & novas has olim futuras antiquas, observat. Fuit etiam quondam nova summa illa ac divina Christianæ Religionis doctrina, non tamen ideo, & tunc, aut minus vera, aut amplectenda minus. Et certè prudenter ac doctè

D. Sylvius libro 4^o. Controvers. q. 2. art. 4^o. *Non solo authorum numero, sed potissimum pondere rationum quaerenda est veritas.* Murcia 8. Phys. disputat. ultimâ, quaest. 2^a. *Quamvis Aristoteli multum tribuendum sit, rationi tamen plurimum.* Praefertim cum, ut notat Caramuël Metaphysic. lib. 8ⁱ. art. 5^o. *experientia nos doceat, illa quae communiora sunt, minus esse à Doctoribus examinata.* Nos verò rationi auctoritatem, quantum fieri potest, conjungimus, sic ut recentiorum sententias impugnando, & antiquorum, silentio magis, quam insufficientiâ extinctas, propugnando, in illud Vincentii Lyrinensis Oraculum continuò intendamus, intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur; eadem tamen quae didicisti, ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova, &c. id est, sic novis ratiociniis stabili & corrobora, ut vera sint, non fucata; sincera, non adultera; utilia, non curiosa; solida, non somnia; realia, non deliria, &c. Nam ut rectè P. Oviedus in suâ ad Philosophiam praefatione, plures hodie reperiuntur, qui propria somnia aut deliramenta phantasiae, magis novitatis libidine, quam studio veritatis extollunt.

Partitio Operis.

Philosophiam nostram in tres Commentarios divisimus; 1^{us} est in Logicam, 2^{us} in 8^o Libros Physicorum, 3^{us} in Libros de Caelo & Mundo, de Generatione & Corruptione; de Animâ, & in Metaphysicam: quos dilucidè, obscurioribus nonnullis illustratis: solidè, levioribus aliorum propulsis ratiociniis: quâ par est brevitate, nil nisi textu Aristotelis, & inutilibus disputatiunculis prætermisissis; pro ingenii & instituti nostri ratione, persolvere adnisi sumus: enimverò semper nobis probatum est, & in Philosophis experti sumus, duo esse mala, quæ R. Ad. P. Daniel modò Provinciae nostræ Turonensis electus Provincialis, in Theologis prudenter reprehendit, in suâ ad primam partem praefatione, nempe, quòd *hi sua explicantes grandes in libros, verbis redundant, & ingenium mole suâ obruant, utpote, cum insint plurima,*

CIRCA OPERIS INSTITUTUM.

rima, quorum jactura lucrum esset, quaque, si rescinderentur, detrimentum studia nullum, non parvum verò studiosi caperent emolumentum: isti verò, ea in pusillos contrahentes, rebus deficiunt, & ingenium sua inanitate defraudant; utpote cum difficillima quaque omitant, facilioribus summatim delibatis. Interim, dum consonantem Theologiam meditamur, faxit Deus, ut labor noster in Reformationis nostræ bonum, & Lectoris utilitatem aliquam cedat.

Distributio temporis.

Dies Lectionis integros in anno, ultra bis centum & quinquaginta, nullos reperio; horum autem Commentariorum paginas quiniæ centum & triginta circiter computo; sic ut quolibet Lectionis die duas paginas, aut saltem duas paginæ columnas prælegendo, aut quotannis, aut saltem bienniis singulis absolvantur, prout desuper prudenter deliberatum fuerit; nostris tamen fratribus annus & medius consultò concedetur; quia, quidquid placens typus annum ferè restituat, quem molesta scriptio furabatur, fusiores sunt hi Commentarii, quam eos spatio viginti sex mensium dictare potuerim: aliud tamen sic præterea Ordini commodum accedit, quòd in singulis Capitulis provincialibus, unus Cursus Philosophicus incipiet, alter desinet.

Ad Lectorem Studiosum.

Vix Librum sine erroribus imprimi, experiètiâ manifestum est; tum propter distractionem mentis & oculorum, tum propter negligentiam typothetarum; quia tamen alienum à mente Authoris sensum reddunt, in his Commentariis obvios paulò infrà subjecimus: & quia frequentiores sunt, quàm optâsemus, omninò consultum erit ante cujuslibet paginæ Lectionem, eos ibi prævidere, ne aliquis occurrat, qui Lectionem & sensum à me intentum turbet. Dis-

PRAEAMBULUM CIRCA OPERIS INSTITUTUM.

plicebit fortè, quòd pompam & fastum in Latinitate
spreverim; & sic veritati stabiliendæ studuerim, ut Lati-
nitatis concinnæ vix ullam rationem habuerim; sed Au-
gustinum sum doctus pluribus locis, *non timeamus Gramma-
ticorum ferulas, dummodò ad veritatem solidam & certiore[m] pervenia-
mus.* Augustinus Tract. 2^o in Joan. nam Philosophi labia
non rectè coluntur: sed ratio: *Quid obest* (inquit idem
Augustinus 4. de Doctrina Christiana) *clavis lignea, si per
eam id, quod volumus, licet aperire.*

Brevis Philosophiam hanc docendi,
eique studendi Methodus.

DE hac Methodo ex professo infra Disput. 7^a. dub.
2^o. Præparamenti Logici pag. 25. ne proinde bis
idem repetam, eam ibi videre poteris.



AMI-